.Græc.A
964

Sächsische Landesbibliothek –
Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/id368941590/1
gefördert von der
Deutschen Forschungsgemeinschaft

283




Po[illegible] 78

N. 150 a/4.

Poët. gr. D. 78.

# ΑΡΙΣΤΟΦΑΝΟΥΣ ΠΛΟΥΤΟΣ.

# ARISTOPHANIS PLVTVS COMOEDIA.

IN VSVM AVDITORVM SVORVM
EDIDIT
ET
*PRAEFATVS EST*
M. JOH. FRIEDLIEB. STVBELIVS,
ANNAEBERGENSIS,
SCHOLAE PROVINCIALIS PORTENSIS
CONRECTOR.

*LIPSIAE,*
EX OFFICINA WEIDMANNIANA.
MDCCXXXVII.

Sächsische Landesbibliothek –
Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/id368941590/3
gefördert von der
Deutschen Forschungsgemeinschaft

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/id368941590/4
gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft

# VIRO
*Nobiliſſimo, Ampliſſimo atque Doctiſſimo,*
# M. SIGISMVND. HENRICO KAVDERBACHIO,
**Illuſtris Afranei Collegæ & Chori Symphoniaci Directori,**

de ſtudioſa Juventute ultra triginta annos præclare merito,

Compatri, Affini, olim etiam Præceptori ſuo maximopere colendo atque amando,

S. P. D.

M. JOH. FRIEDLIEB. STVBELIVS.

* *
*

PLUTUS *pulſat fores,* MI KAUDERBACHI, *non ille captus oculis, ſed qui viſum recepit, & ad* Chremylos, *ad bonos Viros, divertere ſolet. Benigne illum, quæſo, excipias & cogites, a quo ablegatus ad Te veniat.*

Peniam *forte citius, quam* Plutum, *à me expectaſſes nuntiam: ſed ecce* Plutus

*adeſt, propterea non contemnendus, quod chartas apportat pro auro. Mitto talem, qualis apud me hoſpitatur, ſed candidæ mentis & obſtrictæ TIBI interpretem. Nunquam enim obliviſcar illius amoris TUI, cujus inde à puero tot mihi dabas documenta, dum non adoleſcentem modo optimis inſtruebas præceptis, quæ & nunc mihi prodeſſe intelligo, verum etiam Academiæ civem & factum deinde virum, quanta fieri poterat, ope adjuvabas. Debuit ſane extare aliquid publice, quo ſignificaretur aliis, quantum debeam TIBI atque amori TUO, & quanti faciam illa, quæ etiamnum exhibere mihi pergis, nil temerati candoris argumenta.* Plutum *hunc præconem evoco: teſtatum is faciat animum meum, qui, ne inane* Pluti *ſimulacrum, velut illi in Jovis fano, me ſtatuiſſe queraris, TIBI* τὸν ὑπερβάλλοντα ΠΛΟΥΤΟΝ τῆς χάριτος τοῦ Θεοῦ ἐν Χριστῷ *pie precatur. Vale. Dab. Portæ ipſis Auguſti Calendis* CIↃ IↃ CCXXXVII.

Præfatio

# Præfatio ad Lectorem
φιλέλληνα
de
# ipſo Ariſtophanis Pluto.

PLutum Ariſtophanis traditurus Tibi, *Lector Benevole*, cur de argumento in præfamine pertractando ſollicitus ſim, non video. Sponte illud offert Comœdiæ, quam exhibeo, titulus, a quo non recedendum putavi, ne, extra oleas me vagatum, quisquam jure exprobret. Ea igitur hic afferam, quæ propius ad hanc Ariſtophanis Comœdiam pertinent, non inaudita illa quidem, quippe quæ polliceri ego non audeo, nec viris magnæ eruditionis futura ad palatum, qualia proficiſci a me poſſe, meæ tenuitatis memor, neutiquam confido: juvenibus tamen, harum rerum cupidis, quibus labor iſte deſtinatus eſt, grata futura atque jucunda.

De Auctore vero Comœdiæ, qui primo loco memorandus erat, dicere nil attinet, cujus vitam poſt Thomam Magiſtrum & Suidam Gyraldus 1.) & Nicodemus Friſchlinus aliique expoſuerunt. 2.) Actum agere & incerta pro veris vendere non eſt animus. Parum enim noſtra interfuerit, noſſe, utrum Athenis, an alibi locorum natus fuerit, & an peregrinitatis crimen, cujus poſtu-

 latus

1) VI. Dialogo. 2) Confer. Fabricii Bibliothec. Gr. Lib. II. cap XXI. pag. 704. vid. etiam vitam Ariſtophanis deſcriptam in Edit. Lugdunenſi & Amſtelodamenſi, quas Jo. Maire, & Jo. Raveſteinius annis 1624. & 1670. in forma minori adornarunt & quæ Gerh. Voſſius de Ariſtophane habet Libro de Poëtis Græc. cap. 6.

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/id368941590/7
gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft

latus fuerat, a ſe amoliri jure potuerit? Athenienſis per me fuerit: patria hac certe ſe non indignum geſſit civem. Fac vero etiam Rhodium, fac Æginetam, fac Melienſem, fac, ſi lubet, Ægyptium: Cleonis 3) male multati exemplum niſi te deterreat, & niſi manes Ariſtophanis mei, qui in hac cauſa vicit, reverearis, poteris ei quamcunque aſſignare patriam, vel, ſi mavis, perpetuo de vera dubitare. Id ei non minus pulchrum fuerit, quam Homero, quem civem tot urbes ſibi expetierunt. Nec de ætate ejus magnopere laboro, de qua ſatis conſtare arbitror, cum nemo neget, eum cum Sophocle, Euripide, Socrate & Hippocrate vixiſſe. Unum eſt, quod contendo, illud nempe, Atticæ ſcenæ eum fuiſſe principem, omnisque elegantiæ magiſtrum, quippe in cujus pectore ſolo æternum ſibi templum ſtatuiſſe Gratias, 4.) Plato, Philoſophus, mirifice ejus ingenio delectatus, 5) affirmare nil dubitavit, & quem aſſidue legendum Græcas litteras appetentibus Theod. Gaza, Aldo Manutio teſte, 6) commendavit, quod eſſet *ſane quam acutus, copioſus, doctus, & mere Atticus.* Ex quo facile colligi poteſt, hunc etiam

3) Hic Demagogus eum accuſaverat peregrinitatis, valde ab eo exploſus.

4) Notum eſt Epigramma, quo mortuum proſecutus dicitur:

Αἱ χάριτες τέμενός τι λαβεῖν, ὅπερ οὐχὶ πεσεῖται,
Ζητοῦσαι, ψυχὴν εὗρον Ἀριστοφάνους.

*Trina ſibi æternum quærebat Gratia templum:*
*Unius invenit pectus Ariſtophanis.*

5) In illius enim defuncti lectulo ſcripta Ariſtophanis reperta fuiſſe, ex Olympiodoro refert Fabric. l. c.

6) In Epiſtola ad Dan. Clarium Parmenſem. vid. Friſchlini vitam Ariſtophanis.

etiam fœtum, de cujus præſtantia infra dicendi locus erit, tanto patre dignum, apud omnes eſſe debere in pretio. Nemo autem a me exigat, ut de ipſa Fabulæ inſcriptione & re ibi propoſita multis diſputem. PLVTVS inſcribitur: Nonne is conſilium Auctoris & argumentum, in quo hic verſari voluerit Comicus, fronte præfert? Rem te fateberis noſſe, & de divitiis agi intelliges, cum primum vocem audiveris. Noli quærere ulterius, qua ratione de illis agatur. Perverſos Athenienſium mores inſectatur Ariſtophanes; quod te nequit latere. Facile ergo conjectura aſſequi poteris, eum avaritiam, omnis virtutis corruptricem & deteſtabilem rerumpublicarum peſtem, reprehendere, legitimum contra divitiarum uſum commendare. Reliqua tibi ſcenæ mos & conſuetudo ſubjiciet, ſi cogitaveris nempe, quo ornatu hic opus fuerit, & quæ fingendi poteſtas data Comico. Plutus, quem ille divitiarum Deum facit ſane ridiculum, cæcus primum tibi ſiſtitur, qui nullo inter bonos & malos ſervato diſcrimine, etiam indignis ſæpe largiatur opes, quibus, & ipſi occæcati, ad luxum & libidinem aliaque teterrima vitia abutantur: mox viſu ille recepto ad perſpectæ probitatis viros ſe confert, qui melius uti paratis didicerunt. Hæc ſi ſufficiunt minus, & ipſam Dramatis ſeriem pervidere ſi diſcupiunt Lectores mei, ad Anonymum, cujus ὑποθέσεις in toto opere leguntur, vel ad illos Jambos, quos Ariſtophanes Grammaticus prætexuit Comœdiæ, vel potius ad plenius Friſchlini Argumentum, quod hiſce paginis ſubjunctum invenient, illos volo ablegatos; immo

vero ad ipſam, quæ hic agitur, Fabulam. Velum remotum eſt:

*Date operam, & cum ſilentio animadvortite,*
*Ut pernoſcatis, quid ſibi* PLVTVS *velit.* 7)

At pedem tantisper ab Orcheſtra quaſi cohibeant, rogo, ſpectaturi, dum ea breviter exponam, quæ de *Pluto* monenda prius exiſtimo, ut fidem, qua me obſtrinxi, exſolvam. Parva interponitur mora, cujus neminem facile pœnitebit.

Videbimus primum, quotus hic *Plutus* Ariſtophanis ſit, quem exhibemus, ſimulque de tempore, quo in ſcenam productus eſt, allata ab aliis repetemus. Et ſane duas eo nomine inſignitas Poëtam dediſſe fabulas, 8) nemo eſt, qui negare ſuſtineat. Priorem anno IV. Olympiadis XCII. Prætore Athenis Diocle, & quidem Panathenæis, actam, nec tamen eo plauſu, quem ſperaverat Ariſtophanes, exceptam fuiſſe narrant, quod veteris Comœdiæ licentiam & acerbitatem ſaperet: recentatam igitur alioque quaſi habitu indutam, anno demum viceſimo poſt priorem editionem, prætore Antipatro, IV. Olympiadis XCVII. per filium Ararotem agendam eum permiſiſſe, affirmant, eo nimirum tempore, quo a magiſtratu Attico, Antimacho rogante, vetitum fuerit, μὴ ὀνομαςὶ κωμῳδεῖν τινα, *quenquam in comœdia*

7) Verba Terentii, & quidem è Prologo Eunuchi, accommodata.
8) Cujus rei auctorem primum habemus Athenæum in Dipnoſoph. apud quem etiam Αἰολωσίκων duplex, primus & ſecundus reperitur, quemadmodum etiam Nubes geminæ fuerunt, teſte non ſemel Scholiaſte Græco. vid. Andr. Schotti Præfat. ad Guil. Canteri Fragmenta Ariſtophanis.

*mœdia nominatim carpere.* 9) Jam ſi quæras, utra harum ætatem tulerit *prior* an *poſterior? poſteriorem Plutum* hodie extare, plerique omnes credere te jubent. At vero, quando Samuel Petitus, qui ſuperiorem cauſam ſtrenue agens cuique Dramati ſuum tempus vindicaverat, 10) multis contendit, illi, quod hodie legatur, multa è *poſteriore*, multa etiam è *priore Pluto* inſerta eſſe, 11) eidemque Ludolphus Kuſterus 12) ſubſcribit, libere cum eo profeſſus, *Plutum* noſtrum ex *priore* & *poſteriore* mixtum videri, cum non eſſe ſimpliciter *Plutum priorem*, ex eo ſatis pateat, quod, obſervante vetere interprete, 13.) in eo occurrant notæ quædam temporis, quæ *priori Pluto* minime conveniant, contra *ex priore* deſumpta loca, in quibus præter novæ Comœdiæ morem ὀνομαςὶ quidam perſtringuntur, doceant, nec *poſteriorem* purum ad nos perveniſſe: parum ſane abeſt, quin eam in opinionem adducamur, *tertium* jam eſſe in manibus noſtris *Plutum*, ex prioribus conflatum. Diu, fateor, hæſi in his, nec me iis expedire facile potui, tantorum virorum auctoritate etiam oculos præſtringente. Tandem vero omnem dubitationem exemit mihi Illuſtris Spanhemius, 14.) non quidem inficiatus, multa ex *priore Pluto* in hunc *ſecundum*, juxta Doctiſſim. Samuelem Petitum, eſſe traducta, ſed hoc non ita factum arbitra-



9) In Friſchlini Vita Ariſtoph. & in Notis ad Ariſtophanem excerptis, quæ editioni Raveſteinianæ adjectæ ſunt p. 941.
10.) Miſcellaneorum Lib. I. cap. IX.
11.) Loco mox cit. cap. XVI.
12.) Notarum ejus in Plutum principio.
13.) in Scholiis ad Plut. v. 173. & 1147.
14.) Notis ad eundem Plutum in Edit. Kuſteriana pag. 244.

arbitratus, ut è prima ac ſecunda, tertio adhuc recentata ſic ab eodem Comico, aut ab aliis forte, hæc fabula, quod nullus etiam veterum tradiderit. Rem confirmat rationibus ab aliis ejusdem Poëtæ Comœdiis, quibus idem contigiſſe ſtatuit, petitis, ſimulque argumentum de nominibus veris ita infringit, ut dicat, parce Athenienſes, nec eos, qui auctoritate apud populum tum valuerint, aut qui forte actæ ſecundæ hujus *Pluti* fabulæ temporibus jam obierint, in eo nominatim perſtringi, neque magnas eſſe ibi Chori partes, quales in aliis hujus Comici fabulis occurrant, adeoque non ambigendum, quin ille *Secundus Plutus*, idem ſit cum eo, qui hodie circumferatur.

Alterum, quod monendum Lectorem putavi, eſt numerus & delectus *Perſonarum*, quæ partes agunt in hac Comœdia. In plerisque, quæ in meas inciderunt manus, exemplis, XIV. actorum præfixa fabulæ nomina, choro ruſticorum eorum gregi adſcripto, invenies. Errorem vero manifeſtum hic agnoſces, ſi rem penitius excutere libuerit. Mox enim feriet oculos illa *Perſona*, cui nomen ἑτέρȣ ἀνδρὸς ἀδίκȣ tribuitur, & quæ apud alios undecimum, nonum apud alios locum in ordine colloquentium occupat. Quære hanc in toto Dramate; quovis pignore oppoſito tecum certabo, te non inventurum, cui illud conveniat. Is enim, cui obtruditur id nominis, δίκαιος ἀνὴρ eſt, non ἄδικος. Quod non ex eo tantummodo patet, quod eſt inter amicos Chremyli, verum etiam ex eo conficitur, quod facetus eſt, & lætus è domo Chremyli prodit: tum enim nemo lætabatur, nemo beatus erat, nemo amicus Chremylo,

mylo niſi qui *juſtus* eſſet. Ipſe omnia examines velim, quæ dicere eum juſſit Comicus: nullum verbum deprehendes, quod *injuſtum* prodat, quod non *juſtum* potius & probum declaret. Proinde aut pro ἕτερος ἄδικος ἀνὴρ, (cui propterea etiam locus non eſſe videtur, quoniam *alterius injuſti* partes hic vacant;) ſubſtituendus erit ἕτερος δίκαιος ἀνὴρ, 15.) cui ſimilis proxime antecedit: aut tota perſona, quod viſum eſt nonnullis, expungenda. Vidit hoc primus, ni fallor, omnium Carolus Girardus, 16) quo duce Friſchlini conſilium, qui numerum *Perſonarum*, illo ἑτέρῳ δικαίῳ ſublato, imminuere auſus eſt, inveſtigare licuit. Miror tamen, Biſetum & Kuſterum, quorum oculos non ſubterfugerunt multa, in deſignatione perſonarum retinuiſſe illum *Alterum injuſtum virum*, quem ex ipſo Dramate exulare juſſerunt.

Cæterum cauſam, qua impulſus Ariſtophanes *perſonis* omnibus, quas hic loquentes induxit, ficta fecerit nomina, qualia ſunt, *Carionis*, *Chremyli*, *Blepſidemi*, cum in aliis fabulis vera, *Demoſthenis*, *Niciæ*, *Socratis*, *Euripidis*, *Æſchyli* & aliorum occurrant, quilibet, me etiam non monente, ex ante dictis facile elicere poterit, id ipſum habiturus ſignum novæ comœdiæ, 17.) cujus ſpecimen in *Pluto*, ab omni mordacitate alieno, perinde

15.) Factum id in Amſtelodamenſibus Editionibus, quarum Notula I. mentionem injecimus; ubi in ſyllabo προσώπων τῦ δράματος Perſona illa his notatur verbis: Ἄδικος ἀνὴρ, ἤγουν ἄλλος δίκαιος ἀνήρ.

16.) vid. perbrevem ejus Præfationem Pluto præmiſſam cum verſione Lat. & commentariis editis Pariſ. 1549. apud Wechel.

17.) Quam ita appellamus ad veterem intendentes oculum, cum aliis media dicatur, nova vero Menandrum agnoſcat auctorem.

inde ut prius in Cocalo, & paucis aliis dare voluit.

Alia erant ejusmodi momenta, quæ locum hic merebantur: 18.) ſed miſſis nunc illis, quæ curioſe potius, quam utiliter diſputari ſolent, de *Pluti Præſtantia* adjiciendum aliquid cenſeo. Licet enim vino vendibili non opus ſit ſuſpenſa hedera, & Ariſtophanes Ἀττικώτατος vel nomine ſuo lectores facile alliciat, non tamen ab re fuerit, paucis oſtendere hac occaſione, quantum præſtet cæteris laboribus ejus *Plutus* noſter, ut eo majus illius deſiderium apud Græcæ linguæ ſtudioſos Juvenes excitetur. Hi, ſi conſideraverint, qua ætate *Plutum* docuerit Ariſtophanes, ea nempe, quæ vergebat ad ſenium, qua omnia ad judicii amuſſim magis exigere ſolebat; ſi perpenderint ſecum, quo conſilio eum commentus fuerit, nimirum ut filio Araroti, quem præficere ſcenæ conſtituerat, fautores quæreret; ſi porro cogitaverint, huic fabulæ doctiſſimos homines, qui eam, ultimam tempore, primam tamen ordine voluerunt eſſe, concordibus ſuffragiis principatum detuliſſe: illam amare, illam admirari incipient, cauſam certe ſubeſſe credent, cur tanti omnibus viſus fuerit, ut primus ei locus decerneretur. Sunt vero alia, quæ *Plutum*, agmen inter omnes merito ducentem, commendant, nobisque perſuadent, ut eum cæteris præferamus,

18.) Sic de Prologo fabulæ hujus agi poſſet, cujus meminit Anonymus in ὑποθέσει media his verbis: *προλογίζει δὲ θεράπων, prologum autem agit ſervus*; niſi notum eſſet, ea indigitari, quæ Carion Act. I. Sc. I. de Domino ſuo queritur: cum Prologum alioqui Ariſtophanicæ Comœdiæ non ferat ratio.

mus, vel ſaltem nulli inferiorem cenſeamus. Non negare poteſt Friſchlinus, qui contra Plutarchi criminationes Ariſtophanem defendere conatus eſt, 19) genus orationis in quibusdam ejus Comœdiis reperiri φορτικὸν καὶ βάναυσον, *illiberale & ſordidum*, multaque ibi occurrere verba obſcena, multa geri ſcurrilia, multa dici ab honeſtate remota; quod vitio temporum tribuendum erat, quibus nec audiebantur, nec ſpectabantur Comœdiæ, quæ talia non admixta haberent. At nihil tale eſt in *Pluto*, quam fabulam omnium caſtiſſimam appellaveris, adeoque nihil ab ea timendum eſt moribus, quibus in ea, ſi in qua alia, maxime conſulitur. Ad hæc cum ſpectamus Atticæ linguæ puritatem, elegantiam, copiam, ſuavitatem, in variarum vocum aptiſſima compoſitione felicitatem, multorum vocabulorum rerumque ad forum, ad judicia variasque ſcientias ſpectantium interpretationem, 20) ſententiarum gravitatem, prætereaque clariſſima antiquitatis ultimæ lumina, & quæ in fabulis quibusdam recondita habentur, fratribus ſuis omnibus palmam hac etiam parte præripere *Plutum*, fateri cogemur. Hinc fieri ſolet, ut, qui alios auctores Græcos ſibi explicandos ſumunt, omnes *Pluto* ſupplicent, & præſidia ac opem ab eo petant, quippe in quem divitias cunctas à Poëta congeſtas vident, ita ut ſe totum ille exhauſiſſe, omnesque ingenii vires effudiſſe in hoc idolo ornando credatur. Et quantum eloquentiæ ſtudioſis profuerit ſemper

iſta

19) Defenſio hæc Ariſtophanis eſt in Edit. Friſchlini pag. 7.

20) quæ in univerſo Opere laudat Æmilius Portus Epiſtola ad Odoardum Biſetum præmiſſa Ariſtophani.

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/id368941590/15
gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft

iſta fabula, cum aliis hujus ſcenæ, id non oſtendit modo ipſa facundia & in dicendo ſuavitas incredibilis, quam ineſſe his metris Æmilius Portus 21.) affirmat, ſed etiam exempla ſummorum virorum, & Joannis inprimis Antiocheni, propter aureum eloquentiæ flumen, χρυσοςόμȣ & χρυσοῤῥήμονος cognomento celebrati, qui diurna nocturnaque manu triviſſe Ariſtophanem & inde maximam tum facundiæ, tum vehementiæ ſuæ partem in corripiendis vitiis hauſiſſe dicitur. 22.) Præcipue vero ſacrarum literarum ſenſum indagaturis quod ex *Pluti* lectione pollicear, habeo. Quemadmodum enim 23) Joſephus Scaliger dicere nil erubuit, nunquam ſe plura apud ullos auctores legiſſe, quæ magis ad earum interpretationem ducerent, quam apud Ariſtophanem & ei ſimiles: ita in hac ejus Comœdia præcipue talia reperiri, nemo eorum dubitabit, quibus Doctiſſ. Tobiæ Eckardi *Obſervationes Philologicas ex Pluto dictioni Novi Foederis illuſtrandæ inſervientes* 24) conſulere libuerit.

Nihil nunc dicam de voluptate, quæ major utique ex Pluti, quam alius cujuscunque Dramatis Ariſtophanici lectione percipitur, ſiquidem legentibus primo ſtatim intuitu patet, id Poëtam hic inprimis egiſſe, ut & prodeſſet & delectaret, ridendoque (at ſine felle, quo reli-

quæ

21.) in Epiſt. ad Biſetum modo laudata.

22.) ex Ald. Manutii Præfatione Ariſtophani præmiſſa hoc multi repetunt. vid. Fabric. l. c. p. 70<. & Tob. Eckardi Præfatio Obſerv. Philolog. ex Pluto Ariſtoph.

23.) ut eſt in Scaligerianis pag. 38.

24.) Prodierunt illæ Quedlinburgi 1733.

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/id368941590/16
gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft

quæ fabulæ exacerbatæ ſunt) verum diceret. Hæc mecum omnia dum reputo, impetrare à me non poſſum, ut credam, *Plutum* ab Ariſtophane ebrio factum, etiamſi affirmare quis auſit, de reliquis Comœdiis omnibus ab eo commiſſis vere Athenæum 25.) id dicere potuiſſe; quod mihi non magis ſit veriſimile, quam Friſchlino, recte exiſtimanti, 26.) non potuiſſe ab ebrio hæc præſtari, quæ pauci ſobrii, etiam ad Cleanthis lucernam lucubrantes, præſtare potuiſſent.

Nemini autem mirum videbitur, *Plutum*, cum tanta ejus ſit præſtantia, tot ſemper amatores ſibi conciliaſſe, inventosque etiam, qui eum dignum exiſtimaverint, quem unum ex omnibus Ariſtophanis operibus juventuti erudiendæ proponerent, Reuchlini exemplo, qui Ingolſtadii ſe auditoribus plus quam trecentis illum interpretatum ipſe profeſſus eſt, 27.) quod probe noverat elegantioris doctrinæ inſtaurator feliciſſimus, meliora & ad ſitim Græcarum literarum & provocandam & reſtinguendam aptiora non poſſe propinari. Nec alia de cauſa Plutus a reliquo fabularum Ariſtophanis corpore ſeparatus quam ſæpiſſime prodiit in publicum, rariſſime cum ſocia, quam quod omnes intelligerent, quantum ſuper cæteras emineret, & quanta cum utilitate lectio ejus eſſet conjuncta. Cum vero tot prela fatigaverit, totque magna ingenia exercuerit, operæ pretium me factu-

25.) Lib. X. Dipnoſoph. cap. 9. Καὶ Ἀλκαῖος, inquit, ὁ μελοποιὸς, καὶ Ἀριστοφάνης, ὁ Κωμῳδοποιὸς, μεθύοντες ἔγραφον τὰ ποιήματα.
26.) in vita Ariſtophanis.
27.) vid. Fabric. loc. cit. pag. 706.

factum exiſtimo, ſi varias ejus editiones, quæ quidem innotuerunt mihi, commemoravero, & oſtendero, quam diverſo habitu in publicum prodierit, quantumque operæ ei ornando atque explicando fuerit impenſum.

Eorum vero, qui manum ei admoverunt, alii Græco textu, eoque nudo, fuerunt contenti, alii Latinam verſionem vel liberam, vel metris adſtrictam eidem adjecerunt, rurſum alii in exterarum nationum eum transfuderunt linguas, multi vero vel ſcholiis Græcis vel Latinis notis, quidam etiam Gallicis, illuſtrarunt, & nonnulli ex iis unam aut alteram Ariſtophanis fabulam in ſocietatem *Pluti* admiſerunt. 28.) Græce ſeparatim editus eſt Argentorati, *29.*) & additis Ranis Ultrajecti; 30.) Latina autem proſa, Lamberto Hortenſio Monfortio auctore, expreſſa Ultrajecti cum Nubibus & Equitibus *31.)* prodiit. Andreas vero Divus Juſtinipolitanus, qui eum Latinum facere pari ratione conatus eſt nugatoria interpretatione, perinde ut cæteras Comœdias Ariſtophanis, ita cenſente Reineſio, 32.) proſtituit, dum verbum verbo reddidit, &, quod plane ridiculum eſt, Græca non intellecta Latinis literis expreſſit, quaſi hoc fuco Latina futura. Jambis Latinis Nicod. Friſchlini incedentem, & quidem ſolum, Henr. Rumpius Hamburgi 33.) produxit in publicum. Eundemque ab Adriano Chilio & à Thoma Venatorio in metra Latina reda-

28.) Horum nomina maximam partem recenſet Fabricius l. c. cui me plurima debere gratus profiteor.

29.) 1567. 4. 30.) 1561. 4. 31.) 1557. 4.

32.) Var. Lect. pag. 416.

33.) 1613. 8. qui liber recuſus eſt Helmſtadii 1667. 4.

redactum Antverpia 34) & Norimberga, 35) deſerunt *). Gallice eum loqui primum docuit, Fabricio teſte, Jo. Ant. Bayſius, & Hiſpanice Petrus Simon Abril, uti Nicolaus Antonius 36) apud eundem perhibet. Inter illos, qui verſionibus & explicationibus variis dilucidatum eum publici juris fecerunt, primo loco appellandum duxi Carolum Girardum, Bituricenſem, qui eum non modo Latinitate donavit, ſed commentariis etiam utiliſſimis inſtruxit. 37) Girardo jungimus fœminam, ſummo ingenio præditam eoque viris æmulam, Annam Daceriam, 38) quæ *Plutum* & Nubes Gallica proſa notisque exquiſitisſimis interpretata nominis ſui famam mirifice auxit, 39) addito imprimis examine utriusque Comœ-

34) 1553. 8.

35) 1531. 4. Ex officina Jo. Petreji. De qua Editione vid. Maittaire Annal. Typograph. Tom II. pag. 389. & 758.

(*) Inveni etiam Plutum à M. Cabedio latinum factum, & impreſſum Pariſ. 1548.

36) Tom. II. Bibl. Hiſp. p. 193.

37) Prodiit Pariſiis, excudentibus Chriſtiano Wechelo & Mathurino Dupuys 1549.

38) Ariſtophanem illa ducenties totum perlegiſſe fertur, exagitata propterea a Monnojo hoc Epigrammate:

Docte Epouſe d'un docte Epous,
Vous avés, nous le ſavons tous,
Lû deux cent fois Ariſtophane,
Mais faut-il d'une rude voix,
Que Frain la-deſſus vous chicane?
J'ai bien lû ſon livre une fois.

vid. Poem. ej. Hagæ-Comitum 1716. p. 79. Toties Nubes etiam perlegiſſe Tan. Faber, Daceriæ pater, dicitur. v. les Vies des Poëtes Grecs, en abregée, par Mr. le Fevre Amſt. 1700. p. 115. ſqq.

39) Inſcriptio hæc eſt: Le Plutus & les Nuées, Comedies d'Ariſtophane, traduit avec de remarques & un Examen de chaque Piece ſelon les regles au Theatre par Me. Anne le Fevre, epouſe de Mr. Dacier. Paris 1684. 12. & ibid. 1692. & Amſtelod. eod. anno eademque forma.

Comœdiæ ad regulas theatri, quod ante eam nemo inſtituerat. Ad latus ejus applicarem Antonium Verderium, civem ejus, ſi ſcirem, Plutum, quem pariter Gallica proſa a ſe converſum & commentariis illuſtratum *ipſe* memorat, 40) lucem unquam vidiſſe, de quo nec Fabricio ſatis conſtitiſſe videtur, qui etiam *Plutum* & Nubes Ariſtophanis cum ſcholiis ineditis in Bibliotheca Renati Morellii fuiſſe ex Labbeo 41) nos docuit. Poſt hos Gallorum labores Anglorum induſtriam merito laudamus, qui *Plutum* 42) etiam cum Nubibus, nova verſione Latina & antiquis Scholiis Græcis ornatum, indicibusque in Græca ſcholia, verborum altero, altero auctorum locupletatum Londini 43) quam nitidiſſimis typis exſcribi curarunt. Neque Germani hic ſilentio prætereundi, inter quos Ludolfi Kuſteri ſtudium eminet, qui, cum *XI.* quæ extant, Ariſtophanis Comœdias emendatas ſcholiisque & commentationibus variorum illuſtratas & excuſſas penitus elegantiſſimo opere prolaturus eſſet in lucem, totus in expolienda & liberaliſſime dotanda hac noſtra fuiſſe conſpicitur, utpote in quam non ipſe modo ſuas, easque uberrimas, ſed & Car. Girardi, quas modo memoravimus, & Ezech. Spanhemii aliorumque Notas doctiſſimas plena manu congeſſit. Sed quoniam ille reliquis etiam fabulis ſe commodavit, plura de eo non eſt inſtituti mei commemorare. His omnibus, quorum

40) Biblioth. Gallicæ pag. 81.

41) Biblioth. nov. MSS. p. 213.

42) in quem etiam Rich. Bentleji Emendationes habemus in Ariſtophane Kuſteri pag. 315.

43) ap. R. Clavel 1695. 8vo. de qua Edit. conſulantur Acta Erud. Lipſ. Lat. A. 1696. Menſe Septembri.

rum ſtudio debet aliquid *Plutus* Ariſtophanis, accenſeo tandem Sigeb. Havercampium, Batavum, qui eundem, Dionyſii Alexandrini Libro *de Situ Orbis* ſubjunctum, in uſum domeſticæ inſtitutionis, anno ſuperiore Lugduni 44) cum Friſchliniana verſione, ſed absque notis, quales tamen Dionyſio putavit adjiciendas, luci expoſuit. Cujus exemplum cum hoc ipſo tempore Lipſia apportatum commode incidat in manus, ea verba, quibus in Præfatione ad linguæ Græcæ ſtudioſos Ariſtophanem, & *Plutum* imprimis, laudat, & quibus de præſtantia ejus ante a me allata egregie confirmantur, inde transſcribere liceat. Ita autem fluunt: *Ariſtophanes Atticæ elegantiæ & Comici leporis pater, quicquid in addiſcenda pulcherrimæ linguæ proprietate laboris inſumitur, ſalibus ſuis mitigabit atque exhilarabit. Selegimus, quæ inter Comœdias ejus prima legi ſolet, Plutum, eo etiam commendabiliorem, quod pluribus ex reliquis honeſto ſermone præſtet, neque tamen ulli ex iisdem Comica laude cedat.*

Reſtat, ut de meo inſtituto pauca adjiciam, & cauſam, quæ me impulerit, ut Plutum Ariſtophanis denuo excudendum curarem, quidque ea in re a me præſtitum ſit, Lectori Benevolo aperiam. Gloriolæ captandæ ergo id a me tentatum eſſe, nemo ſuſpicabitur ſanus: qualis enim ſperari inde, quæſo, poterat? Ut, quod verum eſt, fatear, neceſſitas hoc imperabat. Ariſtophanem utiliter prælegi poſſe Auditoribus meis credebam, ipſi etiam eum

 expe-

44) ap. Gerh. Potvliet. 8. vid. Nova Liter. Lipſ. Anno 1736. pag. 770.

expetere immo flagitare videbantur. Fruſtra quærebam exemplaria, quot quidem noſtris ſufficerent, & ea, quorum copia fieri poterat, majori pretio vendebantur, quam quod ferrent rationes noſtræ. Proinde Ampliſſ. Weidmannum adii, &, ut *Plutum* ſaltem, fabularum Ariſtophanis Helenam, ſuo ſumptu typis exſcribendum curaret, rogavi. Mox ille precibus annuit. Ego, ut ſine nævis prodiret Plutus, providi ſedulo, ea, quæ peccata erant in Friſchlini Ariſtophane, Porti, Biſeti, Scaligeri, imprimis vero Kuſteri auctoritatem ſecutus, emendavi, &, cum melior non eſſet ad manus, ejusdem Friſchlini verſionem, licet ob ſenarios affectatos paulo obſcuriorem, 45) quæ & Kuſtero modo memorato ſuffecerat, retinui. Notas vero breviores, quas paratas adjicere non licuit, prælectionibus ſervavi. Vale, B. L. & ſicubi Typographus impegerit, boni conſule.

45.) ea tamen meliorem fieri non potuiſſe, Reineſius putat Var. Lect. pag. 416.

NICO-

## NICODEMI FRISCHLINI
### Argumentum in Plutum.

AVaritiam, teterrimam generis humani luem, ac peſtem Rerumpublicarum fere omnium poetarum ſcriptis exagitatam, præſenti Comœdia reprehenſurus Ariſtophanes, & verum divitiarum uſum hominibus commonſtraturus: Chremylum pauperem quendam, ſed bonum & iuſtum, introducit: qui accepto Apollinis Delphici, eum enim de vita filii recte inſtituenda conſuluerat, oraculo; ut quem primum ſibi haberet obvium, illius veſtigia ſtudioſe ſequeretur: incidit in quendam cæcum, & ſibi ignotum; & ſicut oraculo fuerat monitus, diligenter eum ſequitur. Chremyli cæcum hominem ſubſequentis præpoſterum morem ſervus Cario admiratus, herum obiurgat. Sed mox divino oraculo cognito, una cum ipſo Plutum adit, & qui ſit, fateri cogit. Eorum ille vocibus adductus, & qui ſit, & quare cæcutiat, pulcre exponit: ſimul qualem ſe erga pauperes eſſet geſturus, ſi viſum reciperet, facete commemorat. Qua Pluti voluntate perſpecta, Chremylus conſilium init, de viſu illi reſtituendo: commonſtrata illius potentia, qua Deos omnes, ipſumque adeo Jovem Plutus exſuperet. His verbis Deo perſuadet, ut cæcitatem ſuam pelli, & medicamentis ſanari ſe patiatur. Paulo poſt Cario ad ſenes Agricolas, ex agro advocandos, dimittitur, ut & illi divitiarum, ac Pluti fiant participes, & e dura vita in meliorem perducantur. Eo rus abeunte, Chremylus Plutum ad ſe domum perducit, ut, rebus omnibus illic adornatis, deinceps in fanum Aeſculapii deducatur. Qui ubi domum

 ignotam

*ignotam intrat, Chremylum perfacete orat, ne aut ſordidorum more in terram defodiatur, aut prodigorum ritu meretricibus & aleatoribus proſtituatur. Chremylus mediocrem ſe, ac liberalem fore promittit. Interim e rure cum ſenibus Agricolis revertitur Cario, iisque futuræ vitæ ſtatum commemorat, & heri conſilium, ac Pluti conditionem recitat. Ruſtici ludibrio ſe haberi arbitrati, ſervo Carioni omnis generis mala ingerunt. Tandem rei veritate cognita, vitam ſibi voluptariam, ut fert agreſtium hominum conſuetudo, ex opibus pollicentur: & mutuis ſeſe ſcommatis & iocis excipiunt. Mox Chremylo obvianti, & ſalutanti, iidem agricolæ omnem operam in Pluti cæcitate arcenda promittunt. Accedit & Blepſidemus, qui repentina Chremyli opulentia alibi cognita, hominem convenit, & furti inſimulat. Oritur quædam inter ſenes turba, quæ tamen mox iterum ſedatur. Nam Chremyli felicitate, qui Plutum ſe domi habere adfirmabat, & conſilio eiuſdem, de viſu illi reddendo, probe perſpecto, ſuam quoque in ea re operam Blepſidemus pollicetur. Quibus ita confabulantibus intervenit Penia, hoc eſt, Paupertas, & graviter cum ſenibus expoſtulat, quod Plutum viſui reſtituere, paupertatemque e Græcia eiicere conſtituiſſent: & quidem nullo eiusdem merito, cum Paupertas maiora bona hominibus, quam Plutus per ſuas divitias largiatur. Senibus hoc pernegantibus, accedit Chorus, & utrosque admonet, ut ſuam quisque ſententiam dicat, & eam rationibus probet. In eo congreſſu diſputatur utrinque acriter: hinc Paupertate ſua monſtrante commoda, illinc ſenibus divitiarum fructus, & utilitates extollen-*

tollen-

*tollentibus. Sed clamore magis, ita ut ſit, quam rationibus victa Paupertas, exulatum abit. Senes propoſitum ſuum exequuntur, & Plutum in fanum Aesculapii ſub noctem deducunt. Revertitur paulo poſt e templo ſervus Cario, & primum Agricolas in Choro expectantes, læto nuncio de Pluti viſu reparato, exhilarat. Eorum adplauſu domo excita uxor Chremyli, celeriter procurrit, & Carionem de rebus in templo geſtis interrogat. Ibi varia ille, quæ in fano acciderant, recitat: ſimul ceremonias, quibus Plutus viſum receperit, alius vero quidam Neoclides, cæcior factus ſit, multis ſalibus & iocis admiſtis, heræ ſuæ commemorat. Advenit mox ipſe Plutus cum ſene Chremylo, & iubare ſolis ſalutato, omnibus iuſtis ſuam deinceps opem, auxiliumque offert. Eundem Chremyli uxor, conſueto ritu, quo novi ſervi excipi ſolebant, domum intrantem excipit, ac læto animo complectitur. Domo egreſſus Cario, heri ſui adfluentiam, & copiæ cornu, quod in ædibus ſuis repente enatum ſit, admodum facete prædicat. In eum Dicæus, vir iuſtus, trita cum tunica & calceis incidit: dona iſta gratiarum loco oblaturus Pluto iam oculato, eo quod beneficio illius iam eſſet ditatus. Utriusque colloquio intervenit, cum teſte quodam, perfidus & nequam Sycophanta, qui de ſua miſeria ac fame conqueritur: quandoquidem oculatus Plutus malos iam non reſpiciat: Sed a ſervo Carione & Dicæo irridetur, ac, quibus dignus erat, modis adficitur: tandem etiam veſtibus ſuis exuitur, & attritis lacernis induitur, deſertusque a ſuo, quem adducebat, teſte, miſerrime multatur. Interim accedit ad oſtium Chremyli quædam anus decrepita, Pluto & ipſa irata.*

*irata. Nam priusquam ille vidiſſet, ipſa cuidam adoleſcenti placuerat, qui cæco pecuniæ amore adductus, divitem iſtam amaverat vetulam: nunc autem apertis Pluti oculis, ipſa anus agnita a ſuo deſerebatur marito iuvene. Itaque Juſtum orat, ut Plutum ad æquitatem redigat, quo ſibi pro datis beneficiis ab adoleſcente digna referatur gratia. Mox ipſe adeſt iuvenis, qui conſpecta amica, ſenectutem & canos ac rugas illius admiratur: ut qui cæcus antea, iſta non viderit. Mirifice illic, tam a ſene, quam a iuvene miſera anus exagitatur. Ad extremum vir Juſtus adoleſcentem exhortatur, ne eam deſerat: & cum vinum ebiberit, etiam fæces combibat. Dum hæc illic geruntur, advenit Mercurius, & Carionem e domo ſevocat, ac ſe deſertum ac famelicum eſſe conqueritur, quando omnibus iuſtis & pietatis cultoribus ditatis, erant enim antea pauperes, iam nemo ſit, qui liba aut ſacra ſibi pro divitiis offerat. Simul Carionem orat, ut hoſpitio Mercurium dignetur, ipſumque in domum ſuſcipiat. Ille initio negat: ſed cum Mercurius ſe ad omnia, etiam infima officia, deſcenſurum promitteret, tandem recipitur, & pecudum inteſtina abluere iubetur. Poſtremus adeſt Jovis ſacerdos, qui & ipſe de fame ſua conqueritur, quod nemo iam ſacrificet, nec templum ingrediatur, niſi alvi exonerandæ gratia. Huius vicem miſeratus Cario, Plutum e domo evocat, & in locum Jovis Olympii, ubi publicum erat civitatis ærarium, reponit: ſimul anui bonam ſpem de reditu amatoris facit, & cum ea templum Jovis ingreditur.*

*Quos abeuntes omnis Chorus cum cantu proſequitur.*

ALIVD.

# ALIVD.

**P** *lutum admonet vir pauper viſum recipere,*
**L** *aborioſos ſimul accerſit agricolas.*
**V** *bi Blepſidemus acceſſit ſocius: venit*
**T** *um pauperies: repellitur. Cæco Deo*
**V** *iſum dat Æſculapius: gaudent boni:*
**S** *æuiunt mali. Pluto etiam cedit Iupiter.*

## PERSONAE DRAMATIS.

Cario, ſeruus.
Chremylus, herus.
Plutus.
Chorus agricolarum.
Blepſidemus, ſenex
Paupertas.
Mulier, Chremyli vxor
Iuſtus.
Sycophanta.
Anus.
Iuuenis.
Mercurius.
Sacerdos Iouis.



Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/id368941590/27
gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

# ΑΡΙΣΤΟΦΑΝΟΥΣ ΠΛΟΥΤΟΣ.

## ΔΡΑΜΑΤΟΣ ΤΟΥ ΠΡΩΤΟΥ

Σκηνὴ ἡ πρώτη.

Τρίμετροι Ἰαμβικοί.

ΚΑΡΙΩΝ, ΧΡΕΜΥΛΟΣ.

Ὡς ἀργαλέον πρᾶγμ' ἐςὶν, ὦ Ζεῦ καὶ Θεοὶ,
Δοῦλον γενέσθαι παραφρονοῦντος δεσπότου.
Ἢν γὰρ τὰ βέλτισθ' ὁ θεράπων λέξας τύχῃ,
Δόξῃ δὲ μὴ δρᾷν ταῦτα τῷ κεκτημένῳ:
Μετέχειν ἀνάγκη τὸν θεράποντα τῶν κακῶν.
Τοῦ σώματος γὰρ οὐκ ἐᾷ τὸν κύριον
Κρατεῖν ὁ δαίμων, ἀλλὰ τὸν ἐωνημένον.
Καὶ ταῦτα μὲν δὴ ταῦτα. τῷ δὲ Λοξίᾳ,
Ὃς θεσπιῳδεῖ τρίποδος ἐκ χρυσηλάτου,
Μέμψιν δικαίαν μέμφομαι ταύτην, ὅτι
Ἰατρὸς ὢν καὶ μάντις, ὥς φασιν, σοφὸς,
Μελαγχολῶντ' ἀπέπεμψέ μου τὸν δεσπότην·
Ὅς τις ἀκολουθεῖ κατόπιν ἀνθρώπου τυφλοῦ,
Τοὐναντίον δρῶν, ἢ προσῆκ' αὐτῷ ποιεῖν.
Οἱ γὰρ βλέποντες τοῖς τυφλοῖς ἡγούμεθα·
Οὗτος δ' ἀκολουθεῖ: κἀμὲ προσβιάζεται.
Καὶ ταῦτ' ἀποκρινομένου τὸ παράπαν, οὐδὲ γρῦ.
Ἐγὼ μὲν οὖν οὐκ ἔσθ' ὅπως σιγήσομαι,
Ἢν μὴ φράσῃς, ὅτι τῷ δ' ἀκολουθοῦμέν ποτε,
Ὦ δέσποτ': ἀλλά σοι παρέξω πράγματα.
Οὐ γάρ με τυπτήσεις, ςέφανον ἔχοντά γε.
Χρ. Μὰ Δί', ἀλλ' ἀφελὼν τὸν ςέφανον, ἢν λυπῇς τί με,

Ἵνα

# ARISTOPHANIS PLVTVS.

## ACTVS PRIMI SCENA prima.

*Senarii Iambici.*

CARIO, CHREMYLVS.

PRob Iupiter & Dii, quam dura eſt prouincia,
Si quis hero deſipienti ſeruus ſeruiat.
Nam ſi optima quæque ſeruus ſuaſerit:
Secus autem hero ſint viſa: ibi neceſſe famulum
Fieri malorum participem cum hero ſuo.
Nam ita inique comparatum eſt, vt ſors inuida
Ius corporis, non illi, qui ipſum poſſidet,
Sed ei, qui pretio eſt mercatus, conceſſerit.
Atque hoc ita, vt dixi, me Caſtor ſeſe habet.
De Apolline autem, qui ex tripode ſuo aureo
Ambigua ſolet reſponſa dare quærentibus,
Non iniuſtam hanc querimoniam habeo: quod bonus
Cum ſit medicus, & vates, vt dicunt, bonus:
Herum meum dimiſit a ſe ægerrimum,
Et atra bile percitum: veſtigia
Qui cæci hominis a tergo ſubſequitur videns:
Longeque ſecus facit, quam facere eum decet.
Nam qui videmus, alios cæcos ducimus:
Hic, qui videt, cæcum ſequitur: ac me inſuper
Eodem adigit: reſpondens interim ne gry quidem.
Quare non eſt, vt ſileam nunc diutius:
Niſi tu mihi dixeris here, quid tandem fiet,
Quod hunc ſequimur. Alias moleſtus ero tibi.
Neque enim me verberabis, qui ſertum gero.
CH. Non per Iouem: ſed ſi moleſtus ſis mihi



Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/id368941590/29 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

Ἵνα μᾶλλον ἀλγῇς. Καρ. λῆρος. οὐ γὰρ παύσομαι,
Πρὶν ἂν φράσῃς μοι, τίς ποτ' ἐστὶν οὑτοσί.
Εὔνους γάρ ὢν σοι πυνθάνομαι πάνυ σφόδρα.
Χρ. Ἀλλ' οὐ σε κρύψω. τῶν ἐμῶν γὰρ οἰκετῶν
Πιστότατον ἡγοῦμαί σε καὶ κλεπτίστατον.
Ἐγὼ θεοσεβὴς καὶ δίκαιος ὢν ἀνὴρ,
Κακῶς ἔπραττον, καὶ πένης ἦν. Καρ. οἶδά τοι.
Χρ. Ἕτεροι δ' ἐπλούτουν, ἱερόσυλοι, ῥήτορες,
Καὶ συκοφάνται, καὶ πονηροί. Καρ. πείθομαι.
Χρ. Ἐπερησόμενος οὖν ᾠχόμην ὡς τὸν θεόν.
Τὸν ἐμὸν μὲν αὐτοῦ τοῦ ταλαιπώρου σχεδὸν
Ἤδη νομίζων ἐκτετοξεῦσθαι βίον.
Τὸν δ' υἱὸν, ὅσπερ ὢν μόνος μοι τυγχάνει,
Πευσόμενος εἰ χρὴ μεταβαλόντα τοὺς τρόπους,
Εἶναι πανοῦργον, ἄδικον, ὑγιὲς μηδεέν.
Ὡς τῷ βίῳ τοῦτ' αὐτὸ νομίσας ξυμφέρειν.
Καρ. Τί δῆθ' ὁ Φοῖβος ἔλακεν ἐκ τῶν στεμμάτων;
Χρ. Πεύσει. σαφῶς γὰρ ὁ θεὸς εἶπέ μοι τοδί:
Ὅτῳ ξυναντήσαιμι πρῶτον ἐξιὼν,
Ἐκέλευσε τούτου μὴ μεθίεσθαί μ' ἔτι:
Πείθειν δ' ἐμαυτῷ ξυνακολουθεῖν οἴκαδε.
Καρ. Καὶ τῷ ξυναντᾷς δῆτα πρώτῳ; Χρ. τουτῳί.
Καρ. Εἶτ' οὐ ξυνίης τὴν ἐπίνοιαν τοῦ θεοῦ,
Φράζουσαν, ὦ σκαιότατέ, σοι σαφέστατα,
Ἀσκεῖν τὸν υἱὸν τὸν ἐπιχώριον τρόπον;
Χρ. Τῷ τοῦτο κρίνεις; Καρ. δηλονοτιὴ καὶ τυφλῷ,
Γνῶναι δοκεῖ τοῦθ': ὡς σφόδρ' ἐστὶ συμφέρον
Τὸ, μηδὲν ἀσκεῖν ὑγιὲς ἐν τῷ νῦν χρόνῳ.
Χρ. Οὐκ ἔσθ' ὅπως ὁ χρησμὸς εἰς τοῦτο ῥέπει,
Ἀλλ' εἰς ἕτερόν τι μεῖζον. ἢν δ' ἡμῖν φράσῃ,

*In aliqua re, ego detracto ſerto, te flagris*
*Multabo, vt peius etiam habeas. CA. nugas agis.*
*Nam ego prius non ceſſabo, quam tu dixeris*
*Hic quis ſiet. Quia enim fidelis ſum tibi,*
*Ideo tam ſollicite, quæ ſunt in rem tuam,*
*Inquiro. CH. Agedum iam non cælabo te amplius.*
*Nam ex omnibus ſeruis te vti fideliſſimum*
*Mihi, ſic & furaciſſimum credo omnium.*
*Ego, cum vir eſſem iuſtus, integer & pius:*
*Hactenus in egeſtate, & ſumma penuria,*
*Ætatem egi, inopem ac miſeram. CA. iſthuc ſcio.*
*CH. Alii vero nequam homines, ſcelerati, improbi,*
*Sacrilegi, ſycophantæ, rabulæ, interim*
*Diteſcebant. CAR. iſthuc credo facillime.*
*CHR. Interrogaturus igitur, adiui hunc Deum,*
*Vt, qui putabam vitæ ærumnoſæ prope*
*Exhauſtam a me eſſe partem longe maximam:*
*Conſulerem eum de filio, quem habeo vnicum:*
*An illi expediat permutatis moribus,*
*Eſſe improbo, male verſuto, ſani nihil:*
*Nam ad bene viuendum hoc credebam apprime vtile.*
*CA. Quid ergo per coronas Phœbus garriit?*
*CH. Id audies. aperte enim Deus mihi*
*Hoc dixit, vt cuicunque primum occurrerem,*
*Templo egreſſus: eum nullo deſererem loco,*
*Animumque inducerem, domum vſque perſequi.*
*CA. Et huic tu primum ergo occurriſti? CH. huic ſcilicet.*
*CA. Quid, ſi tu homo ineptiſſime, mentem optimi Dei*
*Non aſſecutus es? qui aperte hoc conſulit:*
*Vt filium noſtratum moribus imbuas?*
*CH. Vnde iſtud coniicis? CA. hoc vel cæcus viderit,*
*Quod maxime conducat, hoc nunc tempore*
*Nihil quicquam ſani quenquam hominem conarier.*
*CH. At hoc mihi non fit veriſimile Cario,*
*Quod in iſtam partem propendeat oraculum:*
*Sed in aliud longe maius. Quod ſi vir hic*

 *Nobi*

Ὅς τίς ποτ᾽ ἐςὶν οὑτοσὶ, καὶ τοῦ χάριν,
Καὶ τοῦ δεόμενος ἦλθε μετὰ νῷν ἐνθαδὶ,
Πυθοίμεθ᾽ ἂν τὸν χρησμὸν ἡμῶν, ὅ, τι νοεῖ.
Καρ. Ἄγε δὴ σὺ, πρότερον σαυτὸν, ὅς τις εἶ, φράσον.
Ἢ τἀπὶ τούτοις δρῶ. Χρ. λέγειν χρὴ ταχὺ πάνυ.

## ΔΡΑΜΑΤΟΣ ΠΡΩΤΟΥ ΣΚΗΝΗ δευτέρα.

Τρίμετροι Ἰαμβικοί.

ΠΛΟΥΤΟΣ, ΚΑΡΙΩΝ, ΧΡΕΜΥΛΟΣ.

Ἐγὼ μὲν οἰμώζειν λέγω σοι. Καρ. μανθάνεις,
Ὅς φησιν εἶναι; Χρ. σοὶ λέγει τοῦτ᾽, οὐκ ἐμοί.
Σκαιῶς γὰρ αὐτοῦ καὶ χαλεπῶς ἐκπυνθάνει.
Ἀλλ᾽ εἴ τι χαίρεις ἀνδρὸς εὐόρκου τρόποις,
Ἐμοὶ φράσον. Πλ. κλάειν ἔγωγέ σοι λέγω.
Καρ. Δέχου τὸν ἄνδρα, καὶ τὸν ὄρνιν τοῦ θεοῦ.
Χρ. Οὔτοι μὰ τὴν Δήμητρα, χαιρήσεις ἔτι.
Εἰ μὴ φράσεις γὰρ, ἀπό σ᾽ ὀλῶ κακὸν κακῶς.
Πλ. Ὦ τᾶν ἀπαλλάχθητον ἀπ᾽ ἐμοῦ. Χρ. πώμαλα.
Καρ. Καὶ μὴν ὃ λέγω, βέλτιςόν ἐςι, δέσποτα.
Ἀπολῶ τὸν ἄνθρωπον κάκιςα τουτονί.
Ἀναθεὶς γὰρ ἐπὶ κρημνόν τιν᾽ αὐτὸν, καταλιπὼν
Ἄπειμ᾽, ἵν᾽ ἐκεῖθεν ἐκτραχηλισθῇ πεσών.
Χρ. Ἀλλ᾽ αἶρε ταχέως. Πλοῦτ. μηδαμῶς. Χρ. οὐκοῦν ἐρεῖς;
Πλ. Ἀλλ᾽ ἢν πύθησθέ μ᾽, ὅς τις εἴμ᾽, εὖ οἶδ᾽, ὅτι
Κακόν τί μ᾽ ἐργάσεσθε κοὐκ ἀφήσετε.
Χρ. Νὴ τοὺς θεοὺς ἡμεῖς γ᾽, ἐὰν βούλῃ γε σύ.

*Nobis aperiat, quiſnam ſit, cuius rei*
*Cauſa, aut qua re indigens, nobiſcum huc venerit,*
*Forte aſſequemur oraculum, quid innuat.*
*CA. Age tu, dic hocprimum mihi, quinam vir ſies:*
*Aut poſt minas ſic faciam. CH. dicto opus eſt cito.*

## ACTVS PRIMI SCENA ſecunda.

### *Senarii Iambici.*

### PLVTVS, CARIO, CHREMYLVS.

*TIbi ego dico, vt male pereas. CA. audis here,*
*Quem ſe eſſe dicat? CH. hoc tibi dicit, non mihi.*
*Nam ruſtice & inhumaniter eum interrogas.*
*Age vero, ſi quid tibi candidi hominis placent*
